

† R. P. Carolus Petsche.

(Prov. Vindobon.).

Die festo SS. Cordis Iesu, 19 iunii a. 1925, duobus mensibus ante expletum quinquagesimum professionis religiosae annum, s. ecclesiae sacramentis rite munitus in domo nostra B. Mariae V. de perpetuo succursu Vindobonae (*Hernals*) supremum diem obiit



R. P. Carolus Petsche, collegii minister. Cum festo B. Maritris de perpetuo succursu corpus eius mortuum in atrio portae collegii de more expositum esset, hominum multitudo permagna, quae sollemnitatis causa convenerat, defunctum Patrem dilectissimum precibus oblati Deo commendare non destiterunt. Triginta enim paene annos in

collegio Hernalensi moratus optime omnibus notus erat. Sequenti die 22 iunii corpus exsequiis in ecclesia factis in coemeterium elatum est. Cum a primo mane maximi imbres haberentur, pauci funus ad locum sepulturae deducturi esse putabantur. Sed res contra evenit. Quia P. Petsche triginta fere annos coetui catholico iuvenum ad ecclesiam nostram constituto praefuerat, permulti praesertim viri ac iuvenes convenerunt, qui grato animo patri dilectissimo iusta persolverent. Quorum plurimi, quia in fabricis officinisque operam praestant, dimidia saltem, si nihil aliud, mercede diurna libenter huius rei causa caruerunt. Rector scholae illius, in qua P. Petsche multos annos puellas doctrina catholica instituerat, quamquam ipse sacerdotum amicus non est et P. Petsche viribus deficientibus a quattuor annis ad muneris vacationem se dederat, tamen puellas

cum magistris misit, quae funus comitarentur. Quo magis apparet, quae auctoritate et aestimatione Pater defunctus in schola illa usus sit. Ad sepulchrum praesides virorum ac iuvenum verba fecerunt, quibus animi grati sensa prodiderunt. Inter eos, qui funus extulerunt, clarissimus quoque vir ad comitia legum ferendarum deputatus Leopoldus Kunschak non defuit. His autem exsequiarum sollemnibus festa semisaeularia professionis religiosae factae compensata sunt, quae duobus mensibus post celebranda iam praeparabantur. P. Petsche quidem ipse, cum talia festa non amaret, dicere solitus est ante sua festa semisaeularia sibi esse moriendum, quod a SS. Redemptore precibus impetravisse videtur.

P. Petsche die 31 maii a. 1857 e familia non divite, sed piissima Vindobonensi ortus est. Parentes multos annos proxime ecclesiam nostram ad Scalas B. Mariae V. habitaverunt et pater, cum ex eo quaereretur, quo diebus dominicis vel festis sui recreandi causa se recepturus esset, respondere solitus est suum recreationis locum ad Scalas Marianas esse. Carolus iam puer in ecclesia nostra Patribus ad altare ministrabat. Cum tredecim esset annorum, iam duas classes studiorum humaniorum absolverat. Tum quodam die vacationum tempore forte P. Provincialis Kassewalder ex eo quaesivit, num sacerdotii quondam assequendi desiderio teneretur. Cui cum puer ita esse confessus adiecisset nimis diu adhuc oportere in literas se incumbere, Provincialis « At vero », inquit, « tu apud nos studia tua prosequi poteris ». Quod cum puer pius et ingeniosus domi parentibus rettulisset, facile ipsi permiserunt, ut Provinciali invitanti obsequeretur. Ita Carolus Petsche iam ante, quam iuvenatus noster institutus est (*Anal.*, III, pag. 204), primus provinciae nostrae iuvenista factus est cum duobus aliis pueris. Sed ex his tribus Carolus noster solus perseverantiae donum obtinuit. Duodeviginti deinde annos natus noviciatu absoluto die 29 augusti a. 1875 votis religiosis se obstrinxit. Quinque annis post die 6 iulii a. 1880 ad sacerdotium evectus est.

Mauternae primum in studentatu historiam ecclesiasticam docuit, deinde Buxilongum missus est, ut linguam italicam addiceret, ubi annum tantum unum mansit. Tum Eggenburgi, Puchheimii, Leobii in missionum labores incubuit. Denique triginta fere annos Hernalsensi collegio ascriptus institutioni religiosae puerorum ac puellarum inter incolas, quorum plerique operarii sunt, cum multo labore, sed etiam cum fructu non parvo operam dedit. Praeter has scholas autem praesertim iuvenum coetus, cui tam diu praefuit, ducem se praestitit optimum. Mulieribus non erat valde acceptus. Quamquam moniales SS. Redemptoris in Mauer, quibus per tres annos a confessionibus erat, permagni eum fecerunt.

Ultimis quattuor annis, cum ob cordis vitium a laboribus abstinendum esset, eo magis orationi se dedit, multumque temporis in sacello domus coram tabernaculo SS. Sacramenti egit. Morbi dolores non tantum

patiens, sed hilarus tolerabat. Ceterum hilaritas praesertim virtus eius propria erat, qua etiam iuvenum imprimis animos sibi conciliabat. Cum autem die festo SS. Cordis Iesu ac paulo ante festum B. Mariae V. de perpetuo succursu animam bonam Deo Redemptori reddere potuerit, confidere sane possumus eum sollemnia professionis religiosae semisaecularia cum Iesu et Maria in caeli sedibus agere meruisse. R. i. p.!